

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 72.

Elysium-Meum.-Die Veneris 13 Oct. 1809. (Neov. 26 Sept. 1809.)

D e M e r i t o .

D i s s e r t a t i o .

Qui pollet meritis, ille est diademate dignus.

Hodie meritum secundum *Clar. Heinnichers* expendendi animus fert; id enim pro adiutorum temporis ratione multis variationibus obnoxium. — Merito diadema suum! — quod diadema? — tam multiplicia merita in diversa ratione, tam multiplicia diademata — Superi nos a præjudicio custodiant! cuius fanatico, nulli liberalibus pro humano genere actionibus nix merito panegyrum instituendi, nos id in ratione solum activæ ejus adplicationis expensuri, ad rem igitur. —

Omnis vis, prout physica, caeca est, imprudens, nihil providens; verum si cum ea summa dexteritas, & mentis acumen jungatur, tum non temere in diem agit, sed prudenter & callide affectus hominum in id trahit, quod sua interest, blanditur sexcentis eorum cupiditatibus, ambitioni & astro habendi fomentum largitur, hacque ratione infascinat optima ingenia, quæ ei servire, & in consiliis ejus exequendis adjuvare occipiunt.

Quævis eximia in orbe facta a viris ingenio & scisatia præditis perfecta vidimus; Nec fortuna hominum, nec eorum libertati usque consultum erat, quo perspicaces viro operam suam non conferrent; ut primum vero perspicacia alacritate se connexuit, tum splendissima facta, temeritatis summæ molimina patrata. Nulla civitas unquam penitus perit, quæ salutem suam viris ingenio, & alacritate præditis credidit. Tales viri audacter, & energie facta orbis adprehendunt, ea in potestatem suam redigere nituntur, suo arbitrio alligent, & consiliis suis adcommovent. Viro eximii ingenii, mentis, & scientiæ aliquid supernaturale tribuitur, ejus subsidia inexauribilia existimantur, ejus mens cuncta penetrans. Cum fiducia eum sequuntur; ejus consilia adjuvantur, cum facultatum vitæque periculo ei adherent, quodque humanitati Civitatique conducit, id pernoctat, & in effectum deducit. —

Quandiu Græci ingenio excellentes domi forisque viros moderatores rerum habuere, bene decurrere omnia. Virtus bellica, ingeniumque Belliducum Romanorum Romæ imperium orbis procuraverat, quod desidia & imperitia sequentium Imperatorum rursus perdidit. — Orbis occupatores Atilæ; Tschingiskahni, Timuri, erant excellesiæ mentis, quibus phalanx hominum se associavit; æque ingenii doubtus insignis. Splendidissimæ gentis cujusvis Epochæ eæ sunt, dum mentum ingeniumque primum locum tenet. Angliæ

res, maritima usque invicta perseverabit, quo solum viro, ingenio alacritateque prædito, exequenda credita fuerit. Gallia solum ingenio illustres per heroes victorias retulit; honor & præmiorum spes ingenia excitavit, quæ proh dolor! invicta perseverarunt, quod nullum ingenium debellandum habuerint. Si igitur res eximias in effectum deducendi, si humanum genus, aut Civitas ex aliquo periculoso statu eripiendi votum est, merito honor deferatur, ingenio fides adhibeatur, alacritas scientiaque exquiratur oportet, & bene procedent omnia. — Nostra ætate, qua ingenium tam eximiam personam agit, qua homines rationibus solum ducuntur, moralibusque de libertate & independentis, notionibus animantur, gubernatio continuo magis implicatur; quod homo multifariam operetur, & hæc diversæ operationes ad unum scopum dirigi debeant. Hanc concordiam nemo alius efficiendo est, quam qui alacritate, perspicacia, ratione cordeque aliis eminet, — hic omnibus perficiendis par est, quæ virtus humanis perfici possunt, quod vero viri ingenio menteque præditi perfici valent, nondum ad liquidum deductum est. Quod mille fieri non posse putavere, illi fieri posse docent. Expendatur modo Europæ status ante 15 annos, & horribus! — est is opus eximiarum exactis virium, validissimis, qui unquam in homines egere, aliteribus firmatarum & animatarum — quare merito dignum diadema offeratur, etiamnumque tempus in historia cælis

largitur argumentum lætius, quam absquesalutari hocce remedio fuisset — Omnia ultromerito viro parent, viro magnorum auctumeximæque perspicacitatis, iæque intra paucas dies perficit facta, quæ ei, & populo ejus per omne ævum immortalitatem conciliant. —

Multi hominum opinionem suam merito excelsi viri adfigunt; nomen ejus traducitur, ad omnem secundum eventum attollitur, sinistrum contra carpitur. Ita legitur correctio Ephemericum Parisiensem: Journal de l'Empire de 20. Sept. in seqv. articulo Vindobona de 12. ejusdem, officiosam notam continere videtur: Publicista inter eas Gallicas Ephemericides pertinet, quæ de nostra patria audaces sæpe relationes texunt. Correspondentes hujus paginæ, Austriacarum rerum parum intelligentes videntur, cum quadam acerbitatis specie de Archi Duce Carolo loquuntur. Interim ille omnium principum domus suæ is erat, cujus animi indoles sub quibusvis adiunctis estimatione dignissimam se manifestavit. Omnia, quæ poterant, adhibebantur media ad, consiliis ejus adversas, actiones eum perducendam, eo res processit; ut aere, quæ eum ambleruat, devinciendi conatus adhiberentur. Minister Z. est, qui Austriæ & Carolo Archiduci tam sinistra servitia præstitit. Sæpenumero huic principi proponebatur: Gallicam paucas copias adgressioni opponendo esse; secundum belli successum non posse non sequi — ut, quamquam contrarium ominaretur, tam frequentes allayerationes amplius elidere

requierit, invitus nihilominus bello adversus Galliam implicabatur.

Die ipso, quo ea ad Ratisbonem acciderant, fovebat & indicabat votam pacis, cui ex eo tempore fidus manebat. Inducias Znoimensibus ictis, Imperio militari abdicabat intelligens: omnes ad aulam veritatis vias interceptas, & per eodem viros, qui in stipendio sunt ad commenta & illusiones propagandas, quarum divulgatio Europæ hosti tantopere cordi est.

Eadem prorsus ratione meritum, quod Borussia ex pacificis hodiernis adjunctis persentiscit, sinistre considerandi voluntas fuit. Novissimi annales in hoc argumento sequi perhibent:

Berolino 18. Sept. Diversi motus in re militari Borussia, promptæque præparationes ad ejus coordinationem aliquanto tempore conjecturis ansam dedere, quæ tamen per altiores declarationes, quam & tempus evanuerunt. Exercitus Borussia fide probe eruditorum virorum, non facientibus quidpiam in obversum multifariis præparationibus, non supra 42,000 armatorum censet; & si hinc inde occasio se offert videndi, quæ præparationes ad bellicas hæ vires debite ordinandas, necessariæ sint, genuina primum notio jacturæ, quam in militaribus subsidiis suls tulit, acquiritur, & quantopere brevi infelici bello omnibus orbata sit, quæ ei olim formidabilis militaris Status notam indiderunt.

Angustiae urbis Berolini de praesenti admodum grandes sunt. Nuper Civium communitati tandem plenus aëriaræ rei status propositus. Berolinum septem supra milliones debitorum habet. Ex his in valore 3 millionum apochas 5 pro 100 edidit, duos milliones coacto, census experte, mutuo collegit, præterea duobus adhuc millionibus erga cambium & hypothecam præstitam tenetur; summam urbi anxietatem elicit novissimum duorum millionum debitum, quod plurimum hypothecæ loco, urbis apochas dederit, quæ de tempore non redemptæ, a Cambialium proprietariis venduntur, evictione urbem manente. Cum jam urbanae apochæ 50 circiter pro 100 valorem habeant, fieri omnino posset: ut urbs hypothecam suam redimendo impar, majoribus adhuc oneribus involvatur.

Adversus liberam quorumvis fabricatorum extraneorum erga præstationem $8\frac{2}{3}$ procentualem, Berolinensis Magistratus æque exceptiones fecit apud regimen, ea ex ratione: quod hoc procedendi modo Fabricæ indubie damnum patiantur. Cum jam Berolini notabilis numerus earum sit, urbis magna pars contribuendi capacium Incolarum ipso hoc in critico rerum suarum articulo in paupertatem redigenda, proix redituum jacturam allatura metuitur.

Quamvis menstrua Contributionis Gallis pendendæ præstatio restet, videtur ea ex conventionione cum regimine galicano intermissa, plures enim milliones parati tenentur,

ad primum autum in contributionis rationem expediendi.

Memorable in his adjunctis rerum decretum Americanorum adversus Anglicanum regimen, sequentibus constans:

Vasingthonio de 10, Aug. Proclamatione Præsidis & Enciclicis Status Secretarii promulgatum est: Cum Jussu Cabineti de 1807 & 8. non revocatum sit, prout legatus extraordinarius Suae Maj. Britannicæ pollicebatur, acta Congressus, quo quivis commerciales nexus Magnam inter Britanniam & Status foederatos vetantur, pristino vigori restitui. Acta interim hæc nullam sustinent applicationem ad eas Anglicanas naves, quæ vigore Edicti Præsidis de 19. Aprilis Americanos portus jam subiverunt, aut ante adhuc subituræ sunt, quam novum hoc Edictum in loco, ad quem expeditum, promulgatum esse potuerit. Aequè parum actis his definitæ poenæ adversus eos Americanos locum habere queunt, qui Britannicos portus prius subiverint, quam præsens Edictum iis innotuerit; aut postquam iis innotuerit; omnem operam dederunt, ad portum Americanorum Statuum repetendum.

Neo Eboraco die 16. Aug. Hujus pagina *nationalis Intelligens* hæc complectitur: „Britannici regiminis ratio erga nostrum, misturam præbet doli & impudentiæ, cujus fortassis exemplum in historia patriæ nostræ nullum existat. Anglia declarat: reprobari a se adgressionem Fregatæ Chasapeak, renuere tamen imperitare nobis satisfactionem. Celebratum Cabineti

de 11. Nov. decretum necessitatem nobis injungit, si Interdictum primo, tum communicationis omnis vetitionem opponendi; Anglia subito effectus horum mediorum sensit; jam Manufacturis ejus cruda materialia deerant, & copia laborantium inedia pereundi periculo patebant. Promptuaria ejus vacua erant, cumque ex Russia cannabis & petreolum non adferretur, putredo imminebat ligneis ejus vallis, quæ brevi deinde undis Oceani absorpta fuissent. Anglia urgentem sensit necessitatem vexillorum Americanorum, ablegavit D. Erskine, eique venia data amica ratione negotium componendi. — Jam vero ubi factæ hæ negotiationes mercatoribus nostris occasionem dedissent, ingentem Capitulis summæ vim periculo exponendi, ubi portus Anglicani navibus, mercibusque nostris redundat, nunc inquam sermonem mutat Anglia, non intelligibili ratione Mandata D. Erskine promulgat, & fortassis jam præparat expilare eos, qui bona fide, & animo fortunæ munificentis tyrannorum maris crediderunt. D. Jackson elementissimam Brit. Maj. voluntatem allaturus dicitur. D. Jackson! quis ignorat impudentem & crudum hunc Pittii agentem? cui prologus Tragoediæ Hafnensis demandabatur, &c.